

IV.

Alexander II. fordert die Erzbischöfe und Bischöfe Frankreichs auf, die kirchlichen Einkünfte nur würdigen Personen zu übertragen. 1061—73.

Alexander episcopus servus servorum dei universis archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Iuxta psalmistae testimonium non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel¹⁾. Quam ob rem super ecclesiae curam constituti, circa curam ipsius debemus continue vigilare. Cum igitur inter ecclesiae pericula gravissimum speculemur, quod personas indignas cumulatis redditibus, dignas autem permittitis esurire (exurire), universitati vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus quatinus patrimonium Christi membris suis sicut veri ecclesiae sponsi, non sicut adulteri dispensetis. Alioquin excessus vestros ulterius sustinere non valentes, quin vos tamquam dispensatores indignos a dispensationis officio suspendemus, cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.

Zwei Copien in der Coll. Baluze t. 63 f. 30 u. 32.

V.

Gregor VII. befiehlt dem Bischof Hugo von Langres, der ohne päpstliche Aufforderung in Verbindung mit dem Legaten Hubert den Grafen von Flandern excommuniciert hatte, seine Handlungsweise vor Hugo von Die zu rechtfertigen. — Die nach Rom Pilgernden empfiehlt er seinem Schutze. 1078 (Nov. 25).

Gregorius episcopus servus servorum dei H.²⁾ Lingonensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Pervenit ad aures nostras, quod tu et Hubertus hujus ecclesiae legatus Rodbertum Flandrensium comitem excommunicastis. Unde mirari satis nequeo quod tale aliquid sine precepto meo et vicari mei consensu, Diensis videlicet episcopi, quia aliter fieri a vobis non debuit, facere praesumpsistis; precipue cum in talibus aut illis partibus, vobis nullas vices in eas³⁾ concesserim. Quapropter apostolica auctoritate tibi precipio, ut ad Diensem episcopum venias et cur hoc ausus sis facere in veritate sibi aperias, quatinus Deo largiente quod justum sibi visum fuerit, super hac tuâ culpâ decernat. Monemus quoque et monendo praecipimus, ut peregrinis ad limina apostolorum venientibus vel redeuntibus nullam omnino injuriam facere vel fieri in partibus tuis permittas, unde jam multas contra te querimonias audivimus, si gratiam Dei et sanctorum apostolorum et nostram benedictionem et dilectionem habere desideras.

Dieser und der folgende Brief Gregors VII. sind zwar

1) Psalm. 121, 4. 2) Cod. A. 3) l. vices meas. W.